












No 2081.





80 40

Quod tandem ab imminenti interitu e latebris
juxta exemplar suum emendate protraxit,
eique
DISSERTATIONEM HISTORICO-CRITICAM,
ejus atque Autoris Coeci
fata ulterius examinantem, praemisit
CHRISTIANUS PETRI BRANDT, OTHINIA-FIONUS,
qui hanc Dissertationem, Respondente pietate et eruditione ornatissimo
ANDREA NICOLAI DALIN,
S. S. Min. Candidato, et Phil. Baccal.,
publice tuebitur in Auditorio Collegii Regii d. 26 Sept. Anno 1760.

HAVNIAE, typis ANDREAE HARTVIGII GODICHE. Anno MDCCLX.

N° I.

Epithalamium illu-
STRISS. D. FRANCISCI

à Lotharingia, Ducis Barri, Marchionis Pontis Mon-
tionis, ac inclytæ D. CHRISTINAE à Dania
Ducis Mediolanẽsis Cæsaris Caroli Quinti Opt.
Max. ex sorore neptis, ac Christierni eius nomi-
nis secundi, Danorum, Suecorum, & Noruegi-
orũ regis filiæ, per IACOBVM IASPARVM
DANVM Arhusiensem publicũ Profes-
sorem Græcum, ac trium lin-
guarum studio-
sum.

יתן יהוה את האישה הבאה אל ביתך כרחל
וכלאה אשר בנו שתהן את בית ישראל

בית והון נחלת אבות ומיהוה אשה משכלת

היי לאלפי רבבה ויירש זרעך את שער שנאיו

Δεύτερα τῶν πάντων ἐσαεὶ εἴωθεν ὑπάρχειν,
ἔργων τῶν προτέρων πράγματα βελτίονα.

C. Brandt
Othinia-Fionus

ANTVERPIÆ
Ex officina Ioan. Graphei, Anno à Christo
nato M. D. XLI.
mense Augusto.

Epithalamium.

INclyta Christierni Cimbrorum filia regis
Regis Danorum sum minor atq; vocor
Regis Danorum, Suecorum, Noruegicorum
Nata minor natu corpore maior ero.
Gratior est multo procero in corpore virtus,
Quanuis exiguo sint sua dona data.
Ipsa parens Isabella mihi, regina probanda
Moribus eximiis prædita, casta, proba
Hæc soror excellens tua Cæsar auuncule chare
Vnde fit vt neptis Cæsaris ipsa vocer,
Et nomen CHRISTINA datum mihi fonte sacrato
Ex auia vocor, hoc nomine dicta, mea
Imò de genitore meo, data syllaba duplex
Est mihi Christierno nominis apta mei.
Adde quod ex illo (cui Graii nomen ab vngo
Indebant) nos tres nomina suscepimus
Quælibet vnde fluit res appellata superne
Infernecq; vigens ordine perpetuo
Hic Hymenæus erit faustus prosperq; futurus
Cuius & optatus, nunc Hymenæus erit.

ALIVD.

Pronuba Iuno veni, formosam iunge venusto
Apta etenim pulchro, pulchra puella viro.
Pronuba Iuno veni, castam coniunge pudico,
Integer vt turpi sit sine labe thorus.
Pronuba Iuno veni, prælucida stemmata misce,
Nobilis vt claro iuncta sit vsque viro.
Omnia conueniunt, ætas, genus, ordo, figura
Congruit & paribus moribus integritas.
Non opus est cesto paritas vbi fœdera sancit
Omnia & ex simili conditione vigent.
Tu Lucina veni, quo post connubia læta
Coniugio ex simili, pusio sit similis

Puellā vel virginem vocat, quia multæ etiā in cōiugio virgines manserūt.

Et referat patrem si mas, si fœmina matrem,
Agnoscat vultus hinc sibi vterque suos.
Si vates Danus, si non est pectore vanus,
Intra annum puer his vagiet in thalamis.
Cum cultor bonus est, & agri natura beata,
Surgit de paruo semine multa seges.

ALIVD.

Quid sibi nobilium vult densa corona virorum,
Quid sibi magnorum concio crebra Ducum
Heroum genus, & proles clarissima regum ?
Quid tot in armatis conspiciuntur equis ?
Raucus amœnarum clangor sonitusq; tubarum ?
Cur varios faciunt tympana pulsa sonos ?
Fallor ? an hoc habitu sponsalia festa parantur ?
In castumq; venit sic noua nupta torum ?
Sponsus adest iuuenum, dulces gaudete cohortes
Tristitiam mentis pellite, Sponsus adest
Ponite nunc clypeos, & acutæ cuspidis hastas
Ornent pro galeis mollia serta comas.
Hostis abest, astant gratissima turba puellæ
Saltantes patrio ducite more choros.
Triste nihil tota iam conspiciatur in vrbe
Purpureo cunctas spargite flore vias.
Tuq; puellarum splendor CHRISTINA decusq;
Quæ merito CHRISTI nobile nomen habes.
Regia progenies dulcissima cura tuorum
Concipe læticiam, iam tuus ignis adest.
Sponsus adest, secum Charites ex ordine ducit,
Teq; coruscanti captus amore petit.
Astat Hymen, vinclumq; gerit, quo nectit amantes
Illo vestra cupit iungere colla iugo,
Ne Cupido pugna, feruentibus annue votis
Virgo Heliconiadas inter habenda deas.
Optatumq; diu complectere læta maritum,
Stringite blandiloquis oscula mille labris.

Sic

Sic vobis nullo rumpantur gaudia fine,
    Castus perpetuo sit sine lite torus.
Pronuba Iuno veni, cupidas coniungere mentes,
    Tempus adest somni pronuba Iuno veni.

ALIVD.

Hæc est illa dies casti qua fœdera lecti,
    Condigno iunget casta puella viro.
Nunc procul esto Venus, spurco circundata cesto
    Prouenit hic casto pectore castus amor.
Et tu cede puer cæcos qui spargis amores,
    Cyprigenas flammas non capit iste thorus.
Nec tibi quæ diras semper cum coniuge lites
    Iuno geris, nunc hæc limina casta patent
Officio ast perfuncta tuo castissima virgo,
    Tam castis thalamis pronuba Pallas erit.
Huic sociæ Charites lætæ hic sua munera spargent,
    Atq; agiles ducet turba nouena choros.

ALIA DIVERSA.

Iungat coniugio vos stabili Deus,
Summus vos faciat parens, parentes:
Sed CHRISTVS ipse pronubus vobis,
Sit Hymen Hymenæus ipse maximus Deus.
Quos comparare summus hic voluit Deus
Hos separare nulla mors poterit duos
Patriam, parentes, & domum liquit suam,
Vt glutinetur coniugi sponsus suæ,
Nam sponsor est summus Deus.
Despondet atq; spondet optimus pater.
Omnia se spondent sponso & lætissima sponsæ,
Ne desponderent animum in regionibus istis
Nubere FRancisco nunc vult CHristina, proinde
Rogandus est summus Deus,
Hos inter nubes ne vnquàm vlla exoriatur.
Discute CHRISTE graues nebulas,
Tu sol iustitiæ nubila dissipans
Plantare summus quod voluit pater,

Ne ſupplantare liuor improbus poſſet,
Chriſtina Chriſtierno patre genita
Quàm chriſtiane nubit hæc ſponſo ſuo
Pater parentis filii Deus ſui
Te prole multa mox parentem fecerit
Fœcunda vitis plurimas vitas dabit.
Hæc palma vitis, palmites vitas dabit.
Sine patre CHRISTVS matre natus ex ſua
Te matrem, & illum fecerit precor patrem
Ex patre mater, mater ex parente fit.
Fit ex parente vtroque tertius puer,
Plurimas tibi puellas det puella nobilis,
Quæ Deum ſuum parentem virgo reddidit parens.
Et tibi Deus puellos det marite nobilis,
Qui puellus ex parente natus eſt & virgine.
CHRISTINA heu patriam ſuam reliquit,
Et Sponſus patriam ſuam reliquit,
Transferat in patriam vt ſeq; ſuamq; ſuam.
Chriſtina heu patriam & patrem reliquit,
Sed non reliquit optimus hanc pater patrum,
Nec Imperator hanc reliquit optimus,
Nec hæc parentem, nec parens reliquit hanc,
Sed Imperator optimus pater, virum
Pro ſuo dedit parente, qui hanc parentem fecerit:
Lætatur hic iam filia, & parens procul.
Vterque ſummis natus eſt parentibus,
Vtrique terra mater, & pater Deus.
Hi ſunt parentes omnibus, ſed maximi,
Sed vterque claro natus eſt ex ſanguine
Regum, Ducumq;, & Principum.
CHRISTI renatus eſt vterque ſanguine,
Vterque vere nobilis, notus Deo
Notuſq; mundo vterque rebus plurimis,
Vterque claris natus eſt parentibus,
Sed vterque clarior parens fiet modo
FRANCISCE CHRISTINAM tuam duces domum
Vxor

Vxor non trahitur, ducitur optima.
Tu te das illi, ſe dabit illa tibi.
Ipſa ſibi dos eſt ter maxima quam ſibi poſcit
Dotem Franciſcus nobilis ingenio
Diuitiis non eſt vitiis ornata puella.
Vterque dos eſt alteri.
Vterque dotes alteri multas dabit
Virtutes, pueros diuitias puto
Verus amor, ſyncerus amor coniunxit vtroſque,
Iunxit & hos ſummus pronubus ipſe Deus
Tobias, atq; Iſac, Franciſcus, & Anna Rebecca
Chriſtina eſt, Niobe, Penelopeq; ſimul
CHRISTVS adeſt, Virgoq; parens, mutauit & vndas
Triſtitiæ, iam in vina Deus comitantibus illum
Diſcipulis, facientq; ſui quæcunque miniſtri
Iuſſerit, implebuntq; cados nec copia vini
Deficiet, quod læticiam præbebit abunde.
Eſte procul Muſæ, & Charites, & pulcher Apollo,
Mercurius, Pallas procul hinc, procul hinc Ganimedes,
Ambroſia & nectar procul hinc, niſi quam tibi Chriſtus
Sponſe dabit, ſponſæq; tuæ, ductare choreas
Ille iubet mentis, vera hæc & ſumma voluptas.
Vera fides Chriſto nos iungit, gratia Chriſti
Se iungit nobis, hæc vera, & ſumma voluptas.
Virginitas fœcunda placet, placet hic quoque caſtum
Coniugium, quo nil pulchrius orbis habet.
Nubere vis Chriſtina Deo, tunc nube marito,
Nam puto cum Chriſto nubere poſſe viro.
Ex te naſcatur ſoboles, Chriſtoq; renata
Cum lacte CHRISTVM combibat.
Tu gignis corpus, mentem creat optimus author.
Formate mentem paruuli virtutibus.
Coniugiũ hoc ſanctum eſt quod nõ vult fęda voluptas,
Sed quod voluntas efficit.
Coniugium innumeros iungit, dum pectora bina
Iungit amor verus, qui ſine fine manet.

Pecto

Pectora coniugium non semper corpora iungit,
Carne viro nubas, mente viro atque Deo.
O amor, ô summi sapientia maxima patris,
Dum per coniugium tam bona multa facis
Sit satis hæc vobis breuiter cecinisse, proinde
Qui vos coniunxit, vos regat ipse Deus.

ALIVD ad Reginalem maiestatem votiuum.

Det Reginalis maiestas viuat vt annis
Pluribus omnipotens Deus ac super omnia clemens.

Idem Græce, per eundem Iacobum Danum.

Δὸς θεὲ τῇ Μαρίᾳ δηρὸν ζῆν τῇ βασιλείᾳ
Οὐλεῖν, εὐπράσσειν διὰ ζωῆς, καὶ ὑγιαίνειν.

ALIVD ad Sponsum.

Et Francisce Comes, Dux, Marchio, & inclyta proles
Viue, vale multos fœlix sospesque per annos.

Idem Græce, per eundem.

Σὺ Φράγκισκε γένους μεγάλου πέρι, καὶ ἅμα καλοὺς
Τοὺς γονέας μοῦ ἔχων, ἔρρωσο δὲ σῶς βιοθεύων.

ALIVD ad Sponsam.

Cæsaris ô neptis salue generosa propago,
Regia progenies salue, & prælustris imago.

Idem Græce, per eundem.

Καίσαρος υἱώνη Χριστίνη χαῖρε ἀγαυή
Παῖς βασιλῆος ἀρ' εἶ ἔρρωσο σὺ ἀντιανείρη.

Ad inclytum Principem Araniæ & Comitem de Nassau, per eundem Iacobum Danum.

Atque Renate tuum nomen fuit inclyte visum
His celebrare meis numeris in, cunque figuris
Princeps Araniæ, necnon & coniugis Annæ,
Annæ dilectæ tibi nobilis vtque pudicæ.

Idem Græce, per eundem.

Κλειτὲ ῥένατε τεὸν μοῦ τοὔνομα κἂν πολύαινον
ἦ πρὰ πᾶσιν, ὅμως δ' αἰνεῖν μοι δόξεν ἀγαστῶς
ἄννης πρὸς τούτοις ἀλόχου σου εὐπατερείης
εὐπατρίδος κλειτῆς, καὶ εὐγενέος, καὶ ἀμώμης.

ALIVD ad Cancellarium Brabantiæ.

Ingelberte iuuat vel te meminisse secundat,
Autor connubii, quia tu præclare fuisti.

Idem Græce.

Ἰγγέλβερτε πρέπει μεμνῆσθαι, ἠδὲ προσήκει
Ἐνθάδε τῆς ἑστίης δοκίμης σοῦ, καὶ ὀνομαστοῦς.

ALIVD ad Sponsum, quo hortatur & admonet eum liberalitatis in doctos viros.

Sis modo Mecœnas haud deerunt Sponse Marones,
Artis enim nutrix extitit omnis honos.

Idem Græce per eundem.

Ἴσθι σὺ Μηκοίνας, ἀπέσοντ' οὐχὶ Μάρωνες
Θρέπτειρ' ἐπιστήμης ἐστὶν ἐπεὶ τὸ γέρας.

Carmen extemporale in nuptias clarissimorum

Principum Francisci Lotharingi & Christinæ Danorum regis filiæ Ducissæ Mediolanensis Bruxellæ celebrandas, die decima mensis Iulii, Anno à CHRISTO nato M. D. XLI.

CAlliopæa meis nunc te insere diua medullis,
Et testudineam porrige Phœbe lyram.
Curaq; Sarmaticas acris discede sub oras,
Et sine pierio pectus amore frui.
Ingredimur veras dicturi carmine laudes,
O vtinam tumido Pindarus ore siem.
Cerula prospicio furiosos æquora ventos
Naufragii timeo sæua pericla mei.
Quis leget iratas odiosis flatibus vndas?
Deuorat exiles barbara scylla rates.

Quam vix effugit animo tam cautus Vlysses
Est tamen Actææ Palladis vsus ope.
Et mihi securo quæ numina limite pontum
Conficient? nigras quis mihi sternet aquas?
Hic opus ingenio, mens hic sine nubibus apta
Pectora sint cunctis hæc vacuata malis.
Pondera non animo sunt hæc torpente ferenda,
Sed magis herculeos res volet ista toros.
Non tua sunt humili fingenda negotia versu,
Altior est stilo gloria tanta meo.
Parce præcor stolidis Princeps Clarissime cœptis,
Nec data despicias paupere dona manu.
Ipse deum rector fumos capit igne sabæos,
Hæc est æterno victima grata Ioui.
Cres quondam Soli ceratas Dedalus alas
Obtulit, & Cereri liuida pruna placent.
Araq; vitiferi fert sordida musta Lyæi,
Sic capiunt magnos munera parua deos.
Parua Cleonæi placuerunt tecta Molorchi,
Illi qui domito terga leone tulit.
Diues Ataxerxes sceptris generosus auitis
Ex fragili gelidam vase bibebat aquam.
Quam sibi demisso porrexit rusticus ore,
Dum venit aurato conspiciendus equo.
Tu simili nostras tractabilis auræ camœnas
Suscipe nobilium fama decusq; Ducum.
Sanguine regali prælustres detegis ortus
Maius enim toto non viget orbe genus.
Quale tibi corpus, quàm fortia pectora, vires
Quas natura tuis addidit alma bonis.
Frons animosa nitet, quam formidare rebellis
Quilibet & iustus debet amore sequi.
Quæ tua maiestas? vultus quem spargit honorem?
Signa verecundi quanta pudoris habes?
Intumuit quondam Pompeio Dardana magno
Roma, quod imperium protulit ille sacrum.

Græcia Nelidem laudando Neſtora iactat
Maturos tantum fudit ab ore ſonos.
Vita fuit Bruti multis ſpectata ſeueri
Attiliiq; fides, religioq; Numæ
Maſcula virtutis dos ſectilis obuenit iſtis
Integrior ceſſit candidiorq; tibi.
Wilia tu veterum ſuperas FRANCISCE virorum
Nec mea ſunt dubiæ carmina laudis opus.
Teſtis adeſt latis LOTHARINGIA cognita campis,
Non negat hæc patriæ terra beata tuæ.
Affirmatq; meos quæ ſcit Germania verſus,
Et iuret quiſquis nouerit à puero.
O ego ſi poſſem tua facta volumine digna
Tradere victuris dux venerande libris.
Tunc ego grandiloquos imitatus carmine ſoccos
Vincirem lætas fronte virente comas.
Feſtinate patres, iam feſtinate puellæ,
Bruxella properet quicquid in vrbe latet.
Ingreſſo linguis ſponſo plauſuq; fauete,
Et date læticiæ publica ſigna nouæ.
Omnis Io Pæan regio ſonet auſpice cælo,
Conſecret hunc celebrem lactea gemma diem.
Inuidioſe dolor ſqualens quoque mœror abeſto
Iam taceat trepidi garrula turba fori.
Funera non mater gnati deploret adempti,
Nec fleat amiſſo mœſta marita viro.
Si quis ab aduerſi cruciatur turbine fati,
Differat hic luctus diſſimuletq; ſuos.
Omnis Io Pæan populus ſonet auſpice cælo,
Conſecret hunc celebrem lactea gemma diem.
Spargite odoratos floreſq; herbaſq; virentes,
Occulat ornatas plurima palma vias.
Læta peregrinis ornentur phana tapetis,
Quæque gerant frondes & ſua dona fores.
Annuat æthereo radians ſol igneus aſtro,
Nec ſpargat triſtes Æolus ille nothos.

Omnis Io Pæan regio canat, auspice cælo
    Consecret hunc celebrem candida gemma diem.
Hospita virgineæ densetur turba cohortis,
    Et petat hæc Sponsum crebra salute nouum.
Illa coronatis innectat crinibus aurum,
    Ludat, & effusis ista superba comis.
Altera Chrysolitos habilem gerat altera torquem,
    Hæc canat, hæc festos dedicet arte choros.
Omnis Io Pæan populus sonet, auspice Christo
    Consecret hunc celebrem lactea gemma diem.
Assiduo late resonabunt compita luxu,
    Concrepet argutæ fistula docta lyræ.
Suscitet & raucum sonitu tuba martia cornu
    Instrepat, & grato tibia mixta sono.
Concurrant armati hastis simulachraq; Martis
    In tanta proceres læticia celebrent.
Pax tamen & toto regnet Venus aurea mundo,
    Aurea quæ nulli sit nocitura probo.
Largaq; solenni referant conuiuia pompa,
    Mensa sit annoso prodiga quæque mero.
Omnis Io Pæan regio sonet auspice cælo,
    Ornet & hunc lætum candida gemma diem.
Adsit & in toto mea Danica musa triumpho,
    Et videam tantos cominus ore viros.
Et videam ornatu miro procedere Sponsam,
    Danica quam genuit patria terra mihi.
Principis & iusto nimium sim lætus honore,
    Cum sedet & Sponsæ iungitur ille suæ,
Dum sibi Christinam iungit regalibus ortam
    Connubiis, auctam munere Cæsareo.
Quæ Mediolani nuper cum principe princeps
    Nunc Lotharingorum cum Duce sceptra feret.
Aduertetq; nouo certantia corda fauore
    Gaudebit placidis & sine felle iocis.
Omnis Io Pæan plebs clamitet, auspice cælo
    Consecret hunc celebrem lactea gemma diem.

Quod

Quod fœlix faustumq́ƺ fiet, Lotharinga Brabantis
Nobilitas certo fœdere iuncta mane.
Cæsaris alma soror frænis hæc regna coercens,
Ista graui studio fœdera conciliat.
Fœdera quæ innumeris durabunt aurea sæclis,
Fœdera quæ nequeat soluere liuor edax.
Omnis Io Pæan populus canat, auspice Christo
Consecret hunc celebrem candida gemma diem!
Lactea gemma diem nobis, ô Regia signet
Progenies, quos hoc fœdere iunxit amor.
Regibus exorti parituriq́ƺ ordine reges
Viuite fœlices, viuite pacifici.
Viuite Nestoreos læti validiq́ƺ per annos,
Atq́ƺ habilem regnis fundite progeniem!

HENDECASYLLABON.

Princeps chorusco sydere pulchrior
Parthis sagittas tendere certior
Eques Gelonis imperiosior
Quæ digna mentis laus erit arduæ?
Quæ digna formæ laus erit igneæ?
Te Leda mallet quam dare Castorem.
Præfert Achylli proprio Thetis.
Victum fatetur Delos Appollinem.
Credit minorem Lidia Liberum.
Tu quum per altas impiger ilices,
Præda citatum cornipedem reges
Ludentq́ƺ ventis instabiles comæ.
Telis iacebunt sponte tuis feræ.
Gaudensq́ƺ adactis vulneribus caper,
Admittet hastam morte superbior.
Venus reuersum spernit Adonidem,
Damnat reductum Cynthia Virbium.
Quum post labores sub platani cubes
Virentis vmbra vel gelido specu.

Torrentiorem fallere Syrium,
Et membra somno fessa resolueris.
O quantus vret tum Driadas calor?
Quot æstuantes ancipiti gradu
Furtiua carpent oscula Naïades.
Quis vero acerbis horridior Scythis,
Quis belluarum corde furentior
Qui cum micantem te prope viderit,
Non optet vltro seruitium pati?
Quis non catenas arripiat libens
Colloq; poscat vincula libero?
Tu si niualis per iuga Caucasi
Sæuas petisses pulcher Amazones
Peltata pugnas desereret cohors
Sexu recepto patris & immemor
Inter frementes hippolyte tubas
Strictam securim languida poneret
Et seminudo pectore cingulum
Forti negatum solueret Herculi
Bellumq; solus conficeret decor
Beata quæ te nox faciet virum,
Primisq; sese iunget amoribus.
Beata regis filia Danici.
Beata tanto Principe patria:
Læti parentes fœdere nobili
Quod non resoluet liuor edax.
Vale.

ΟΜΗΡΟΚΕΝΤΡΩΝ.

εἰς τοὺς γάμους.

Αἰδοίην χαρίτων ῥὰ γυναῖκ' ἄπερ κάλλος ἔχουσαν.
Ἣν περὶ κῆρι φίλησε πατὴρ, καὶ πότνια μήτηρ
Λίην γὰρ πινυτή τε, καὶ εὖ φρεσὶ μήδεα οἶδεν
Χριστίνην θυγάτρα Δάνων βασιλῆος ἁπάντων
Φράγκισκος Λοθάριγγος ἄναξ ἄρχων τε βαρείων
ἀγινέει ἀνὰ ἄστυ πολὺς δ' ὑμέναιος ὀρώρει
Τοῖσιν δὲ μέγα δῶμα περιστοναχίζετο ποσσί.
Κοῦροι δ' ὀρχιστῆρες ἐδίνεον. ἐν δ' ἄρα τοῖσιν
Αὐλοὶ φόρμιγγές τε βοὴν ἔχον, αἱ δὲ γυναῖκες
Μολπῆς ἐξάρχουσαι ἐδίνευον κατὰ μέσσας
Ὅσσαι ἀριστήων ἄλοχοι ἔσαν, ἠδὲ θύγατρες.
Πληθὺν δ' οὐκ ἂν ἐγὼ μυθήσομαι, οὐδ' ὀνομήνω
Ἱστάμεναι θαύμαζον ἐπὶ προθύροισιν ἑκάστη
Ταῖσιν δ' ἐν μέσσῃσι πάϊς φόρμιγγι λιγείῃ
Ἱμερόεν κιθάριζε λίνον δὲ ὑπόκαλον ἄειδεν
Ἔνθα μὲν ἠΐθεοι καὶ παρθένοι ἀλφεσίβοιαι
Ὠρχεῦντ' ἀλλήλων ἐπὶ καρπῷ χεῖρας ἔχοντες
Τῶν δ' αἱ μὲν λεπτὰς ὀθόνας ἔχον, οἱ δὲ χιτῶνας
Ὣς τότε μὲν πρόπαν ἦμαρ ἐς ἠέλιον καταδύντα,
Εἵατο δαινύμενοι κρέα τ' ἄσπετα, καὶ μέθυ ἡδύ
Οἱ δ' εἰς ὀρχιστύν τε, καὶ ἱμερόεσσαν ἀοιδὴν
Τρεψάμενοι τέρποντο μένον δ' ἐπὶ ἕσπερον ἐλθεῖν
Τοῖσι δὲ τερπομένοισι μέλας ἐπὶ ἕσπερος ἦλθεν
Αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος, καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο
Μολπῆς τε γλυκερῆς, καὶ ἀμύμονος ὀρχηθμοῖο
Φόρμιγγός τε ἣ δαιτὶ συνήορός ἐστι θαλείῃ
Δύετό τ' ἠέλιος σκιόωντό τε πᾶσαι ἀγυιαί
Κοίτου μνήσαντο, καὶ ὕπνου δῶρον ἕλοντο.

Munera dent alii, pauper dat carmina cæcus,
Quod nisi dat cæcus carmina pauper habet.
Munera dent alii, pauper dat carmina cæcus,
Muneris eſt noſtri munera nulla dare.
Si bona non potui, volui dare carmina pauca,
Vt grata placeam vel breuitate tibi.
Hos ego compoſui (mihi crede) ex tempore verſus,
Hos verſus tamen in tempore compoſui.
Si mea non laudem, veniam tamen ipſa merentur
Carmina. Nam in magnis eſt voluiſſe ſatis.
Conſule quæſo boni, bone non bona carmina Sponſe,
Si mala ſunt, mea ſunt. Si bona ſunt, tua ſunt,
Carmina ſi bona ſunt, ſoli ſit gloria CHRISTO.
Si mala ſunt, Cæcus carmina compoſuit.
Plura dabunt alii, melioraq; carmina noſtris,
Sed qui dat quod habet, non dare plura poteſt.
Cui mea non placeant, digniſſime carmina Sponſe,
Hoc ſaltem placeat, det meliora meis.
Non peto pro numeris, numeres mihi munera multa.
Sed peto pro paucis paucula verſiculis.
Chriſtinam duxit Franciſcus. CHRISTVS vtrumque,
Poſt vitam longam ducat apud ſuperos,
Franciſco vt melius nubat Chriſtina, precamur.
Nubem omnem ex cœlo diſcute ſumme Deus.
Ecce dies Domini, cuncti lætemur in illo,
Nam à Domino hoc factum eſt nobile coniugium.
A Domino eſt factum quanuis mirabile nobis.
Iunxit vtrumque Deus, ſeruet vtrumque Deus.

De Authore cæco. Votum.

Hos qui compoſuit verſus, quàm hoc cernere vellet
Luminibus captus nobile coniugium.
Tu Deus qui omnia ducis & regis,
Conſerua quæſo filium Ducis, & filiam Regis.

FINIS.